corde et animo tendunt ad dominum. Impiorum vero cogitationes multe sunt et diverse. quia inspirant per diversa vitiorum precipitia. Diversa
etiam sibi et contraria de deo loquuntur. Secundum multitudinem impietatum eorum. id est secundum hoc quod peccant puniantur. Quidam plus.
quidam minus dampnabuntur. Unusquisque videlicet prout gessit recipiens; Expelle eos. id est segrega et precide eos a consortio sanctorum. Et letentur
omnes qui sperant in te. Impiis iuste dampnatis. et a collegio sanctorum eliminatis. hi qui in domino speraverunt. ad visionem sui conditoris
introducentur. in qua eternaliter exultabunt et letabuntur. Et habitabis in eis. secundum quod alibi dicitur. et inhabitabo in illis. Et gloriabuntur
in te omnes qui diligunt nomen tuum. Ille namque nomen domini diligit. qui eum vere adorat et credit. Et fidem quam habet in corde. exe
quitur actione. Quoniam tu benedices iusto. Singulariter iusto pro pluraliter dixit. quibus dicetur est in die iudicii. Venite benedic
ti patris mei percipite regnum et cetera. Domine ut scuto bone voluntatis tue coronasti nos. Scutum ad motum pectori protegit.
Super positum capiti coronat. Sic et bona voluntas dei in presenti vita protegit. et in futura feliciter coronabit.
Idem est carmen. quod et ymnus. divina scilicet laus. alicuius metri composita lege. Que si modulate
canitur. ymnus vocatur. Sine modulatione vero. metrum dicitur. Pro octava. Sex sunt etates seculi. septima est mortuorum. in qua sanctorum anime
collate. expectant suorum resurrectionem corporum. Octava est resurgentium. ubi erit vera circumcisio. quia circumcidetur ibi omnis
mortalitas et corruptio. nec iam ullius dolor erit ultra. Pro hac igitur octava etate. cantatur hic psalmus a penitente. Hic autem
psalmus sextus est in ordine. sed primus eorum qui penitentie dicantur. Causa vero cur vii psalmi tantum penitentie dedicentur. hoc
est. quia videlicet. vii modi sunt precipui. quibus peccata dimittuntur. Primus modus fit per baptismum. sicut dominus ait. Qui crediderit
et baptizatus fuerit salvus erit. Secundus per penitentiam. de qua idem dominus alibi ait. Penitentiam agite. appropinquabit enim reg
num celorum. Tercius fit per elemosinam. iuxta quod ipse alibi ait. Date elemosinam et ecce omnia munda sunt vobis. de qua etiam
scriptum est. quia sicut aqua extinguit ignem. ita elemosina extinguit peccatum. Quartus modus fit per indulgentiam proximorum.
videlicet cum fratribus peccata dimittimus. de qua dominus dicit. si dimiseritis hominibus peccata eorum. et pater vester celestis dimittet
vobis peccata vestra. in qua est et illud genus dilectionis. quo propter deum inimicos diligimus. Quintus fit modus per correptionem vere
caritatis. de qua per Iacobum apostolum dicitur. Qui converti fecerit peccatorem ab errore vie sue. salvabit animam suam a morte. et ope
rit multitudinem peccatorum. non solum illius qui convertitur. sed etiam suorum. Sextus quoque modus fit per assumptionem corporis et sanguinis domini. sicut
dominus cum eiusdem sacramentum discipulis traderet ait. hic calix novum testamentum est in meo sanguine qui pro vobis et pro multis effun
detur. in remissionem peccatorum. hoc facite quotienscumque biberitis in meam commemorationem. Quod si digne suscipiatur. peccata
dimitti creduntur. Septimus vero modus fit per sanguinis effusionem martyrio. sicut angeli voce in apocalipsi dicitur. Isti sunt qui venerunt
ex magna tribulatione. et laverunt stolas suas in sanguine agni. et dealbaverunt eas. Secundum alios septimus modus penitentie est.
quando peccata que fecimus ieiuniis. vigiliis. elemosinis. ceterisque afflictionibus corporis insistentes. veniam querimus. Sunt et alii oc
cultiores modi quos ignoramus. quibus deus peccata dimittit hominibus. De die autem iudicii quando futura sit. multi multa loquuntur.
Quidam sic dicunt. quia sex sunt etates seculi. ita post sex milia annorum futurum seculi finem. Alii vero. quia septem diebus iste volvitur mundus. diem
iudicii post vii milia annorum futurum autumant. Sed humana presumptio non debet temere aggredi. quod deus etiam angelos vo
luit latere. iuxta quod in evangelio dicitur. De die autem illa nemo novit. neque angeli neque filius. nisi ipse pater solus. Filius enim
ignorare dicitur. cum alios ignorare facit. sicut scire cum scire facit. sicut de Abraham dicitur. nunc cognovi quod timeas dominum. id est cognoscere
Domine ne in furore tuo arguas me. et cetera. Vox penitentis est. Territus peccator immanitate delictorum suorum. et ter
rore futuri iudicii. precatur ne eternaliter dampnetur. Nec rogat ut non flagelletur in presenti vita. sed ne in furore. id est in ira.
v nolle et terminas per ipsa furorem domini incurrere metuens orabat dicens. Corripe me domine. Veruntamen in iudicio. et non
in furore tuo. Ne forte redigas me ad nihilum. id est ne eternaliter me dampnes; Castigantur electi in hac vita misericorditer
et corripiuntur velut filii in eundem. Furor et ira unum sunt. sed hoc tantum distat. quod furor est subitanea indignatio. ira vero
non poscens. Ira vero diuturna animi commotio. longo tempore perseverans. Miserere mei domine. dimittendo mihi peccata mea. Quoniam
infirmus sum. in anima. et in corpore. In anima propter peccata. in corpore propter penam peccati. infirmitates corpori propter
peccata accidere. ideo quod dimissis peccatis corpus sanitati reddetur. quod et alibi psalmista tangit dicens. Qui propitiatur
omnibus iniquitatibus tuis. qui sanat omnes infirmitates tuas. Ostendens videlicet propter iniquitates. corporum provenire languores.
Conturbata sunt ossa mea. id est omnis fortitudo mea. ut etiam ossa. appellat gravia et duriora peccata. Conturbata sunt inquit
ossa mea. id est peccata mea me conturbare fecerunt. ea recogitando. Nam per ossa animi robur designatur. quia sicut corpus humanum